

Ec. 13. 4to



8

Gratulationes
HONORI, PIETATE,
ERVDITIONE, VIR-
TVTIS ATQVE HONESTATIS
laude ornatissimi Iuuenis GEORGII
VVESELII Onoldsbacensis, Fr. cum
ipsi gradus Magisterij Philosophici
in Academia VVitebergensi, Do-
ctissimo ac spectabili viro D. M. NI-
COLAO THODAENO Professore, De-
cano, decerneretur, 7. Martij
Anni 1581.

Scriptæ ab amicis,

VVITEBERGAE,

Excudebant hæredes Iohannis Cratonis.

ANNO 1581.

Gratulatio

AD VII. PIOS, HONESTOS
ET DOCTOS IUVENES ILLUSTRIS,
PRINCIPIS AC DOMINI, D. GEOR-
GII FRIDERICI Marchionis Brandenburgensis &c. beneficia-
rios scripta à M. Martino Henrico studiorum ipsorum
inspectore, cùm illis insignia Magisterij
tribuerentur, Martij 7. Anno 1580.

Quæ sequitur CHRISTVM loca per deserta docentem
Pascitur exiguo plurima turba cibo.
Bis senis cophinis quibus hic fragmenta supersunt,
Colligere hæc iussit filius ipse Dei.
Eximia est virtus, reliquos comparcere in vsus,
Singulaq; in certo seposuisse loco.
Sic & scripta patrum, sacro quæ congrua verbo,
Seruari sancta religione decet.
Sæpius hæc verbo lucem, pondusq; ministrant,
Magna etiam his paruis gratia rebus inest.
Artes præterea, cophinos, linguasq; disertas
Non nimis absurda dicere voce licet.
Nam sacra seruantur linguis monumenta librorum,
Firmiter in seros continuata dies.
Deinde artes tradunt formamq; modamq; docendi,
Dum rectè Domini verba sacrata secant.
Hæc vobis quoniam studio, vigiliq; labore
A teneris annis discere cura fuit:
Egregij iuvenes, quos illustrissimus Heros
Marchio munificis sumtibus ipse fouet:
Vt sacra diuini noscatis dogmata Verbi,
Quorum vsus sacris catibus esse queat:
Hos igitur vobis, qui nunc tribuuntur, honores
Gratulor, & vobis omnia fausta precor.
Ex vobis capiat gratos Ecclesia fructus,
Soliis vt CHRISTI gloria crescat, Amen.



Vanas hominum curas, o pectora caeca:

Hic curuo multos optat proscindere aratro
Campos, & pecoris curam gerit, ille ferarum
Inquirit latebras, docta et capit arte volucres.

Sunt quos luxuries, sunt quos vesana fatigat
Ambitio; sunt quos & amor sceleratus habendi
Sollicitat, tandem sua cuique est grata voluptas.

Falluntur miseri: Sapientia sola quietos,
Sola facit claros, caeli quae lucida templa
Occupat, & prima ante omnes splendentia cernit
Ora Dei, superas fulgens veneranda per arces.

Prædia nobilitas, argenti splendor & auri,
Non poterunt tristes animo depellere curas:

Hac una, hac animo se nil iucundius offert,
Discutit illius nebulas, lucemque reportat,

Quam superi prima faciles ab origine nostris
Mentibus insertam cultu ornauere decoro.

Fluctibus in medys pelagi venit illa leuamen,
Optatum & rebus se offert solamen in arctis.

Non comite hac scyllam metuunt firmata furentem
Pectora, non rabidae terrent rabida ora charybdis:

Victor abit, quicumque Deo pendebit ab uno.

Ergo tibi hanc vitæ sociam, sponsamque Georgi,
Eligis, hæc animo sedet, hæc infixæ medullis.

Quantum præsidij, decoris quantum additum ab illa;

A 2 Laus

Laus tua, & ad seros ibit tua fama nepotes:

Narrantisq; senex olim pendeat ab ore

Corda stupens, iuuenesq; hilares, facilesq; puellæ

Munera tot superum mirantes, ora tenebunt.

*Percipit en Genitor lætis hos lætus in aruis,
Quos tibi iam, quantos offert Academia honores,
Gratatur, multis cumulatq; altaria donis.*

*Macte age; ceptum vrge: Summi benefacta parentis
Ore refer grato: Hæc Pietas tibi præmia spondet,
Præmia quæ mundi rabies non tollet, & Orci.*

*Georgius Nucelius Annæ-
bergenfis.*

A L I A.

*NON onus est, sed honos, animum excoluisse Sophiæ
Præstanti studio, & quiddam exhaustisse molesti:*

Namq; labor, iussu quem quisq; in munere perfert,

Non abit in ventos, sed habet sua præmia cælo.

Si nescis, DEVS ingenuas DEVS asserit artes,

Extollitq; viros, qui non virtute carentes

Incumbunt studijs, ac læta mente laborem

Experiuntur, & in CHRISTI spem numine ponunt.

Ergo tuus laudem conatus, Amice, meretur,

Nunc vbi doctriinæ specimen laudabile, & artis

Ostensum est: Quoniam doctorum scripta virorum

Nocturnis versasti horis, operisq; diurnis.

Quips

Quippe animum chari virtus & fama parentis
Sollicitant, turpiq; vetant torpere veterno.
Scis quoq;, quod pietas, & summi oracula Regis
Artibus indigeant: quod lucem hinc saepe serenam
Religio accipiat, si quando infecta veneno est,
Barbarico seu immersa luto iacet: Heu ferus error
Ingruit, & fuscis pietatem amplectitur alis.
Te mouet illa etiam iucundæ laudis imago,
Quod pariant decus, & nomen memorabile Musæ,
Cultorem & faciant æternis vinere seclis:
Musis has vires, Musis sine honore iacentes
Tollere humo, concessa Dei bonitate potestas.

Ante quidem virtus tua cognita, docte GEORGI;
Dum fidei, curæq; tuæ vir clarus honore
Pignora cum socijs commendat chara duobus,
Vinshemius, summis qui te quoq; laudibus ornat:
Vitus Vinshemius, quo non prudentior alter
Tractat iura fori, & causas agit ore disertis,
Præstans eloquio, docta præstantior arte.

Scilicet hic labor est, frenis cohibere iuventam,
Inprimisq; Dei, veræ & virtutis amorem
Iam prece, iamq; minis animo accendisse seueris.
Si pietas capit, & discendi innata cupido,
Vera salus aderit, sapientia vera: Camænum
In studijs de fonte fluit progressus ab isto.
Hunc fato exerces non aduersante laborem;

A 3

Sponte

Sponte sua pueri gaudent parere, paternæ
Ecce aliquid mentis produnt, magnisq; parant se
Rebus, & egregij quiddam sub pectore versant
Angusto, mæstoq; ferunt solatia patri.
Hæc igitur fecisse, tibi non vltima laus est:
Sit licet hæc maior, quod te quoq; maxima Pallas
Et VViteberga ornat titulo præstante Magistri,
Sit felix, sit faustus honos, sors prospera vitæ,
Ab quantum decus, & quantam tua patria laudem
Laude tua accipiet: Date lilia, spargite vernos
Pierides flores, vestrum hunc defendite alumnum,
Ne noceat mala lingua, fero ne spicula morsu
Inuidia infigat: Viuet tua viuet, amice,
Gloria, & æterno CHRISTVM celebrabis honore.
Ingenij post fata nitor, mens inclita & artis
Laus superest, nec Mors secum omnia vertit, & aufert.
Christophorus Hornius
Curiensis.





Cl 4160

ULB Halle


3


003 485 978



me







Farbkarte #13

B.I.G.

8

Gratulationes
HONORI, PIETATE,
ERUDITIONE, VIRTUTIS
ATQVE HONESTATIS
laude ornatissimi Iuuenis GEORGII
VVESELII Onoldsbacensis, Fr. cum
ipsi gradus Magisterij Philosophici
in Academia VVitebergensi, Do-
ctissimo ac spectabili viro D. M. NI-
COLAO THODAENO Professore, De-
cano, decerneretur, 7. Martij
Anni 1581.

Scriptæ ab amicis,

VVITEBERGAE,
Excudebant hæredes Iohannis Cratonis.
ANNO 1581.

